



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 103. Fœdus Petri cum Rege Seresanelli initum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.  
A.C. 1494.

tot arcta prehensus Dux nil reliquum habebat, quam vel Florentinorum furori sese exponere, vel Gallorum arbitrio cedere: hoc etiam consilium, cum longe securius esset, suscepit, ac Florentia ad urbem, cui Petra sancta nomen, profugit, ibique misso ad Regem oratore publicæ fidei literas efflagitavit, quas etiam protinus obtinuit, Episcopo Macloviensi illas deferente.

## §. CIII.

*Fœdus Petri cum Rege Seresanelli  
initum.*

Petrus Medicæus his literis munitus, Regem tum Seresanelianæ arcis obfidioni intentum adiit, a quo perbenigne exceptus, ad Deputatos mittitur, ea, quæ Rex ab eo postularét, percepturus. Inter hos ergo conventum est, ut tota Florentinorum Respublica ac speciatim Petri Medicæi familia integra fide fœdus, atque Gallorum amicitiam denuo profiterentur, armorum societati cum Rege Neapolitano sancitæ nuncium mitterent, atque in fidei argumentum, arces Seresanam, Seresanelum, & Petramsanctam, quibus Florentinorum Respublica hac ex parte velut claustris munitur, necnon Pisanam arcem cum liburnensi portu nulla mora Regi traderent, polli-

pollicitatione tamen scripto data, has <sup>Sæcul. XV.</sup> A.C. 1494.  
 urbes, expugnata Neapoli, Petro a Gal-  
 lis integra fide reddendas. Præterea  
 promissum, Florentinos Regi ducenta  
 aureorum millia, capto regno iterum re-  
 stituenda mutuo daturus, interea vero a  
 Rege census usque ad ultimum restitu-  
 tionis diem esse solvendos. Hisce ar-  
 ticulis utrinque firmatis, ante omnia jux-  
 ta foederis pacta priores urbes traditæ,  
 demum Rege Florentiam ingresso reli-  
 quæ duæ Gallorum præfidiis consignatæ  
 fuerunt. Tantam Petri Medicæi facili-  
 tatem mirabantur omnes; illi tamen,  
 quibus ejusdem indoles magis perspecta  
 erat, bene noverant, Petrum non minus  
 ad remota pericula audacem, atque in-  
 trepidum, quam ad imminetia ignavum,  
 timidumque existere.

## §. CIV.

*Commoda in Gallos ex hoc fœdere  
 redundantia.*

Petri submissione restitutæ fuerunt Gal-  
 lorum res, quæ, si Medicæus horum  
 exercitum Florentiis quiete expectasset,  
 omnino desperatæ fuissent; Carolus enim  
 vix Seresanelum pervenerat, cum jam-  
 jam annona copiis ejus ægre ad ter-  
 tiam diem sufficeret, eoquod illius ter-  
 ræ, quam occupabant, sterilitas omne  
 P p 5 genus